

per conspicienda, cernimus eas maiores, quàm reuera sunt. Equidem quod ad institutum spectat, dicerem, quòd per medium crassum res non apparent exactè quales sunt, quia aliàs breuiores aut longiores, aliàs integræ & continentes, aut contractæ videntur. & quamuis res propter defectum facultatis visuæ melius per perspicilla repræsentantur, non tamen censendum, eas tales ostendi quales sunt. Sed maiores videntur, quia per media crassiuscula, omnia apparent crassiora. Nihilominus per album & rarum medium, omnia rectius & sincerius deferuntur ad sua sensoria. Vnde per aërem sonus melius perfertur, quàm per aquam, aut aliud medium crassiusculum. sic odor & sapor, rectius in aëre deprehenduntur, quàm alio medio. Quid verò causæ sit, ob quam quidam melius eminus res intueantur, quàm cominus accedentes, & contrà: in libro de Sensu docetur, & nos aliàs Diis bene fauentib. explicabimus. Arist. quinto de Generat. Animal. cap. i. multa dicit, de visione à longe, & acutè videndi. AER AVTEM COMINVS IMSPPECTVS.) Docuit aërem habere album colorem, nunc quoniam propè inspectus videtur colore carere, eius adfert rationem, quæ est multa sua raritas, quæ à radiis cum sint densiores, vincitur. Vincitur quidem, quoniam nihil aëris apparet, sed solùm lumen, vt nihil videatur habere coloris; à radiis separatus, distractus, & diuisus in partes adeò minutas, vt sensum effugiant. Et quoniam multa desunt in altero manuscripto ex prædictis, vsq. ad eam partem, qua agit de aëre, libet totum locum adscribere ex antiquo, vt cognoscatur, quomodo inter se cohereant, post ea verba

διὰ τὴν τὸ φῶς ἀλλοιοτέραν ἔχειν χροῖαν, sequitur hoc pacto, Διαφόρως δὲ καὶ τῶν τὰ κεραυνήματα χρώματα, ἐν τῷ καὶ αἰ